

Tyburcii martiris. Justini martiris. Juliani martiris. Blasii martiris. Eustachii martiris. Georgii martiris. Alexandri pape et martiris. Reliquie s. Lucie virginis. Margarete virginis. Potentiane virginis. Severe virginis. Justine virginis. Eufemie virginis. Modeste virginis. Reliquie s. felicitatis et septem filiorum ejus. Ipso die consecratum est altare sancti Fabiani et Sebastiani martirum ab eodem Archipresule. In quo continentur Reliquie sancti Fabiani et Sebastiani. Gervasii et Prothasii martirum. Georgii martiris. Pancracii martiris. Theodori martiris. Gorgonii martiris. Marci et Marcelliani martirum. Ambrosii. Germani. Amandi. Willibrordi episcoporum. Castoris confessoris. Sequenti die consecratum est altare sancti Mauricii et sociorum ejus ab ipso Antistite. In quo continentur eorundem martirum Reliquie. Reliquie Gereonis et sociorum ejus. Dionisii et sociorum ejus. Vincencii martiris. Stephani pape et martiris. Apollinaris martiris. Pancracii martiris. Marcellini martiris. Georgii martiris. De vestimento sancte Marie sanctorum domine. Ipso die consecratum est altare s. Marie magdalene. et sanctorum martirum Kalixti pape et martiris. Bonifacii martiris. in quo continentur reliquie eorundem martirum. Juliani martiris. Valentini martiris. Felicis et Audacti (sic!) martirum. Modeste et Crescencie martirum. Reliquie s. Hilarii episcopi. et sancte Quite. Auctoris episcopi Quiriaci confessoris. De stola et Pallio sancti Maximini. De capillis sancte Marie Magdalene.

## Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi, conscriptae  
et a † P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. III. h. ai. pg. 493—501.)

16. Junii. Regina nostra cum conjuge suo Praga, maxime contentatis Bohemis, abiit salva Lineium in Austria superiori, pro homagio recipiundo. Discensus fuit post prandium, cum ante in Ecclesia cathedrali ante S. Joannem Nepomucenum, et in capella S. Wenceslai devote orasset, et suum iter ac regnum commendasset. Explosa tormenta 112. Burggravius Bohemiae a Regina Comes Schaffgotsch nominatus. 19. salva Lineium advenit inter summos applausus et gaudia Austriacorum superiorum. Die 2. Julii, ipso festo Visitationis B. Mariae V. Mellicio transierunt D. Comes Kinski, Cancellarius Bohemiae, et supremus Cancellarius Reginae nostrae Comes de Uhlefeld Lincio venientes, et ad prandium in Mixstetten pergentes, quorum prior in Monasterio nostro confessus est, et tres missas audivit, et narravit, Gallos 27. Junii apud Dettingen ad Moenum in Franconia ab exercitu foederato, scilicet nostris Austriaco-Belgis et Anglis graviter caesos et superatos fuisse.

3. Julii advenit Mellicium per aquam Regina nostra sub media quinta vespertina, habens secum filiam seniore[m] parvulam Mariam Annam, et conjugem suum Magnum Ducem Lotharingiae, crepantibus undique tormentes nostris, et tympanis et tubis personantibus. D. Abbas noster in tentorio, ad litus Danubii erecto, Reginam navi egressam excepit cum P. Priore, oblati[s] simul Monasterii clavibus. Regina per oppidum curru vecta, seniores oppidi ad portam oppidi eam exceperunt, et cives cum armis in foro. Porro pueri scholares cum vexillis stantes Reginae applaudebant, similiter et puellae clamantes: Es lebe Maria Theresia unser liebste Königin Regina prandium simul et coenam circa horam sextam in Salla nostra publice sumpsit, cum conjug[e] suo, Cancellario supremo, Comite de Uhlefeld, qui proxime assedit Reginae, ita illa jubente, et Principe de Lobkowiz, qui Lincium attulerat nuntium de colloquio inter nostrum Comitem de Kevenhiller et Comitem Sekendorffium ex parte Ducis Bavariae habito, et una cum Regina Lincio huc venit, et nostro Domino Abbate, penes magnum Ducem Hetruriae, et immediate apud Principem Lobkowiz sedente, aliisque convivis; ultra 40 simul discumbentibus inter quas etiam erat Abbatissa Domicellarum Anglicanarum e S. Hippolyto cum duabus suis monialibus. Reliqui 5 Praesules, nempe Gottwicensis, Campililiensis, Seisensteinensis, Ducumburgensis et Tiernsteinensis in Sala nostri Abbatis cum aliis cibum sursere. Nostris studiosi, instar militum, et in adventu Reginae in Pfaffengärtl et ea comedente in atrio inferiori Sallao in armis stabant cum vexillo, et armis suis optime instructi, quod valde mirabile et iucundum spectatu fuit. Aderat in adventu Reginae incredibilis hominum multitudo, et admissi plurimi fuerunt in Sallam ad spectandam Reginam cum suis convivis comedentem, quae Regina, uti et conjux ejus vinum non bibebant. Ultra 150 inferebantur fercula. Unum ferculum artificiosum ex sacharo valde magnum Reginam in curru sedentem cum leonibus, et Archiducem Josephum in apice equitantem repraesentans Regina secum Viennam accipere voluit, dicens: Diss will ich mein Seperl nach Haus bringen. Post mensam cum paululo secessisset, ab Abbate ducta lustravit Ecclesiam, in qua et coram Venerabili, et ara S. Colomanni in nuda humo cum Archiducissa flexa oravit, sacristiam et ornamenta Ecclesiae, et S. Crucem nostram, cujus historiam ei Abbas breviter narravit, exosculata est, postea intravit cum suis Dominis et Dominabus in Bibliothecam, quam ante ipsam, et iterum postea cum ipsa admirandus Magnus Dux Hetruriae spectavit, cumque me D. Abbas coram ipsa Bibliothecarium nominasset, dixit illa haec tantum pauca: Er wird viel zu thun haben. Postea in Galeria cum suis ob amoenitatem loci diu se detinuit, et specialiter locuta fuit D. Abbati nostro. Regina etiam misit ad Hospitale et pro pauperibus 100 fl. motu proprio, Franciscanis etiam Ipsensibus, qui huc venerant . . . circiter 30 vel 20 fl. Mane sequenti, ut prius fieri iusserat hora quarta interfuit Missae cum conjug[e] suo, habita a D. Abbate Campililiensi, jubilato sacerdote, et postea media quinta cum suo coniuge currum ascendens a Monasterio ad Danubium in navim suam perexit, et antequam ascenderet currum, primum Abbatem, dein et

nos Mellicenses ad osculum manus admisit. In discessu dixit Regina ad Abbatem nostrum, fore, ut se poeniteret, nisi Monasterium nostrum vidisset. Item Viennae multum laudata fuere obsequia nostra eidem exhibita. Inter descensum et abitum per aquam explosio tormentorum nostrorum saepius repetita fuit. Dein hora septima Archiducissa cum sua paedagoga etiam ad Danubium in navim perexit, admissis pariter ad oscula manus suae. Domino Abbate et Religiosis nostris, rursum concrepantibus tormentis. Die quarta Julii sub horam septimam vespertinam feliciter appulit Viennam Regina cum suis, magnificentissime ab aula et populo Viennensi cum summo gaudio et plausu excepta, ter circa moenia solutis tormentis, et postea cum Imperatrice Matre et sorore coenam sumpsit.

E novis Viennensibus: Noster exercitus in Bavaria die 20. Junii e Geisenfeld pergit in Bömbach, una cum exercitu Principis Lobkowitz conjuncti cum priore exercitu, qui postremo pergit in Königsfeld. Interea venit tibicen cum Officiali missus a Comite de Sekendorf petens capitulationem praesidii Braunauensis cum nostris, sed vix spes erat eam obtinendi propterea, quod decreta iam erat seria obsidio hujus loci. Eodem die Galli sub Duce suo Broglio castra sua apud Ingolstadt deserunt, et trans Danubium Berghein se conferunt, quibus abeuntibus Hussari nostri, in quos sine effectu ex Ingolstadio tormenta explosa, hostium aliquot cum equis captivant. Idem Broglio cito inde in Reinershofen cum suis abiit, inde in Donauwerth perecturus, et se muniturus, exspectans succursum a suis, qui iam in Nordlingam venere. Quo intellecto Princeps Carolus Lotharingicus cum exercitu in Schrobenhausen, Lobkowitz in Hochwart contendit, et recta in Donauwerth vel Schellenburg aggressurus. Item civitas Landsberg ad Lycum primis nostris militibus illis appropinquantibus se nostris sub Comite de Nadasti deditit, et reperta sunt in ea tormenta 23, cum prius praesidium, numero 200, inde fugisset. Sekendorfius cum Bavaris 6000, ut creditum est, e vicinia Augustae Vindelicorum pergit ad locum Rain, haud procul ostio Lyci in Danubium. Dux Elector Palatinatus inferioris per suum Mareschallum in Palatinatu Neuburgensi in Bavaria a Principe Carolo petit tractatum ineundi inter illum, et nos neutralitatem, quodque idem Elector jam jusserit suos, a Bavaris, in quorum auxilium eos miserat, discedere, et domum abire. Galli dicuntur maximam partem in Schellenberg prope Donauwerdam consistere, ibidemque 4000 suorum subsidium exspectare.

E novis Gallicis: Straubinga saepius ad deditionem provocata respondit, sese defensuram usque ad extrema.

E novis Viennensibus: Die Dominica post adventum Reginae Viennam i. e. septima Julii in Cathedrali Ecclesia sollempnissime habitum Te Deum laudamus, praesente Regina ejusque conjuge, sonantibus e moenibus tormentis ob victoriam ei concessam in Bavaria, et praesertim de Gallis apud Dettingen ad Moenum in Franconia prope Seligenstadt 27. Junii reportatam a nostro exercitu Belgico et Rege Angliae. De quo in sequentibus plura. Dux et Elector inferioris Palatinatus se declarat erga nos

neutralem mense Junio, unde separari iussit suas copias a Bavaris et Gallis, et Palatinatus Neuburgensis, a copiis Palatini obsessus, et a nobis intactus permansit. Galli acceperunt suppetias a suis, Duce Segur, et se coniungere apud Donauwerth, sed nostro exercitu appropinquante expilata Donauwerda, incenso quoque suo Magazino celeriter redeunt ad suos per Sueviam. Exercitus noster multis diebus in Rain civitate apud ostium Lyci subsistit, Hussari, Duce Principe Esterhasy, interea in Sueviam usque Geislingen excurrunt, et inter Hall et Oerlingen impedimenta Gallorum fugientium aggrediuntur munita cum duobus Grenadier cohortibus et 60 Dragonern, quos resistentes fortiter nostri partim caedunt, partim captivant. E nostris unus occisus, et 20 aliquid vulnerati. In proelio Dettingensi 27. Junii habito Gallorum mortui in campo pugnae numerati 5000, et ad mille in Moenum praecipitati. Nostri a caesis magna spolia, puta horologia, vestes pretiosas, resque alias, pixides tabaci etc. retulerunt et in Hannau vendidere. Interim ingens numerus Gallorum vulneratorum in hoc proelio delatus in alia loca circa Rhenum, e quibus locis id per scriptum fuit.

E novis Gallicis de acerrimo hoc proelio apud Dettingen, vico Franconiae, 27. Junii 1743 inter Anglos et Gallos habito, haec excerpta sunt: Galli iactis super Moenum duobus pontibus apud Seligenstadt, audientes, quod Angli a campo suo abierint numero 30.000, alii, et quidem ipsi Galli dicunt 20.000, Duce Noaillo transeunt fluvium, et Anglos primi invadunt, primum e tormentis suis eos impetentes, et permultos eorum occidentes ac vulnerantes, ita quidem, ut Angli primum retrocedere incoeperint. Quod videns Dux Arembergius, nostri Belgici exercitus Dux, eis subvenit, et cum Anglis, qui tardius suis tormentis Gallis respondere, Gallos faciunt cedere trans Moenum. Galli ad 3000 trucidati, non numeratis captivis, et vulneratis, capti Galli humanissime tractati ab Anglis. Angli cum nostris ultra 1500 amisere, inter quos Generalis Anglicus Clayton fuit, multi quoque eorum vulnerati, et quidem etiam Dux noster Arembergius in humero, non tamen graviter, uti et Dux de Cumberland, filius secundogenitus Regis Angliae in pedibus, etiam leviter. Rex ipse proelio interfuit, et ubique durante proelio tum equo, tum pedibus, in medio igne globorum fortiter pugnavit. Domus Regia Gallica plurimum in eo pertulit, et Gallis a nostris multa vexilla et Standart erepta. Galli denique campum proelii Anglis relinquere coguntur, fugientes trans Moenum. E Versalia scriptum ex litteris a Noaillo Regi Galliae scriptis, in hoc proelio Principes Gallicos et Officiales prodigia fortitudinis edidisse, sed tamen eorum multos pessime habitos ab Anglis, nihilque hic additum de numero occisorum, vulneratorum, et captivorum suorum, qui ex aliis novis disci debuit. Londinensis audita Regis sui victoria in urbe omnes campanas pulsant, eamque totam ignibus laetitiae illuminarunt prae gaudio. 2000 Hussarorum nostrorum in Julio apud exercitum Anglicum advenerunt, Rege petente, a Regina missi.

E novis Viennensibus. Galli 29. Junii Duce Comite de Segur

fortes fere 10.000 e Suevia Donauwerdam veniunt, et ceteris Gallis in Bavaria se iungunt, in Schellenberg conantur se munire et in hunc finem sylvam ingentem apud Donauwerdam exscindunt. Metu nostri exercitus omnes simul Galli e Bavaria fugiunt, et in Donauwerth, ac vicinia maxima damna faciunt, fructus agrorum demetunt, vastant hortos, et agros, pontem exurunt, farinam, avenam, in plateas effundunt et destruunt ita, ut in plateis quibusdam quis schuhhoch in farina incedere potuerit. Omnes hi Galli contendunt ad reliquos Gallos, in Palatinatu inferiori existentes. Ex Passau scriptum: Postquam noster exercitus sub Carolo Principe Lotharingiae in civitate Rain multis diebus substitit, omnia necessaria pro itinere per Sueviam disponens, tandem octava Julii transito Lyco profectus est in Sueviam, primum veniens in Merding, die 10. per Dillingen transit Danubium usque Witislingen, ceteri apud Neresheim pergentes ad Nicrum fluvium, quibus promissae sunt 8 legiones Hussarorum, 21. Julii cursor transit Mellicium narrans, nostros Hussaros assecutos fuisse primas cohortes Gallorum e Bavaria fugientium, easque partim caecidisse, partim captivasse, totumque fere exercitum hostilem a nostro exercitu insecuto circumdatum.

22. Julii transit Mellicio cursor per Postam, fuit is filius Principis de Lobkowiz, nuntians civitatem Straubing a nobis oppugnatam et diu circumdatam se nobis dedidisse, in qua multi erant Galli. Sic praeter unicum Ingolstadium tota Bavaria Reginae nostrae, Deo donante, subjecta est, Gallis e Bavaria, ut supra dictum, fugientibus. En! Dei iudicium justum super Gallos et Bavariae Ducem Carolum, qui voluit Reginam nostram omnibus suis ditionibus exuere, et nunc ipse totam Bavariam et Palatinatum amisit, et coactus est pacem a nobis petere.

E novis Viennensibus: 19. Julii. Baro de Roth, qui iussus fuit vi occupare Straubingam, bis sibi dedi postulavit hanc urbem, in qua praeter unum Regimen Bavaricum, 1300 Galli erant; at illi tempus deliberationis postulabant. Tandem die sequenti, vicesima Baro de Bernklau huc venit, misit duos obsides in urbem, petens ab urbis commendante, ut intra spatium duarum horarum a nostris Grenadiris unam partem civitatis occupari sinat. Cum is multum tergiversaretur, tandem permotus etiam duos obsides de suis in nostra castra misit, quo iam ante venerat quidam Generalis Adjutant ex parte Comitum Sekendorff de punctis capitulationis cum nostris tractaturus. Ita inter utramque partem conventum est, ut praesidium hostile cum omnibus militaribus honoribus urbe egrederetur, et nobis eadem traderetur ita tamen, ut 1300 per annum contra Reginam nostram arma non sumerent, sed deducerentur a Croatis nostris usque ad Rhenum; Bavaris autem duo tormenta concessa sunt. Ita tradita urbe 300 fere Hungarorum e Regimine Ujvarico urbem in possessionem accipiunt. Reperta in ea 50 tormenta cum magno apparatu annonae. Incredibile gaudium incolis fuit, cum nostrum obsidem D. Capitaneum Cahimodam et Baronem Scheng in urbem venisse cernerent. Sic haec urbi, quae diu se viriliter defendit, sese nobis dedit. Ingolstadium eodem

modo, etiamsi modo multi Galli eam insideant cum Bavaris, nobis cessurum confido. Galli e Bavaria egressi omni celeritate per Sueviam, et Wirtenbergensem Ducatum pergentes ad Rhenum contendunt: verum nostri Hussari magno numero eos insequuntur et infestant. Hallae Suevorum 200 Gallorum ab iis trucidantur, et multa impedimenta, pecora et currus iisdem eripiuntur. Ante decimam Julii nostri Hussari apud Heilbrun, Nekerels, et in ea vicinia visuntur, et in Wimpfen civitatem ac usque Heidelbergam excurrunt, coguntque Gallos omni celeritate ultra Rhenum ire. Noster Princeps Carolus Lotharingicus omnes Principes Circuli Suevici securos esse jussit, a suo exercitu summam disciplinam fore servandam, omniaque in promptu pecunia solutura. Hussari Gallos ubique in fuga ipsorum, ubi poterant, infestant, occidunt, spoliant, et magnum undique inter eos terrorem spargunt. Ipse Dux Gallicus Broglio iam Rhenum cum paucis transivit, das Commando Comiti de Saxonia relicturus. Galli cum duce suo Noaillo, relicto Moeno, ad Bergstrass contendunt Rhenum transituri. Post proelium in Dettingen altera statim die 1500 Gallorum vulnerati ad Seligenstadt deportantur magno eorum clamore et ejulatu, et intra diem eorum ultra 100 obierunt et 70 currus iis pleni in Bergstrass devehuntur, quos longe plures alii currus vulneratis onusti secuti sunt. Ex iisdem Viennensibus novis e lista mortuorum, vulneratorum et perditorum e militibus Brunswico-Luneburgensibus ex parte Regis Angliae constat, ex superioribus et inferioribus militum Praefectis occisos 16, gregarios milites 154, e vulneratis superioribus et inferioribus Officialibus 25, e gregariis graviter vulneratos 161, leviter vulnerati Officiales 13, e gregariis militibus 127, et perditii fuere, qui scilicet defecerunt et aufugerunt, 27. Multi Hungari in Brisgoviam a nobis missi, ut impediunt, ne Galli peccora sibi ex ea coëmant. Comes de Montojio, Hispanicus Legatus apud Carolum VII. Imperatorem, scriptum publicum edidit, quo nomine sui Regis protestatur contra coronationem Reginae nostrae in Praga, et homagium acceptum a Statibus Austriae superioris, dicens, Regem suum omnium terrarum Austriae esse legitimum haerodem. Ita vane ac false hic homo scripsit, merito a nobis Austriacis irrisus.

In Julio Episcopus Frisingensis et Ratisbonensis, Imperatoris frater, ad eundem Francofurtum, quo Imperator Augusta 28. Junii venerat, advenit, et postea ejus quoque Frater Elector Coloniensis.

13. Augusti 1743. Regina nostra feliciter enixa est filiam, nomine Mariam Elisabetham hora tertia post meridiem in aula Viennensi, quae sub vesperam baptizata fuit.

Hoc anno 1743. quidam Episcopi, nominatim, ut audivi, Viennensis, Passaviensis, Bambergensis, qui simul est Episcopus Herbipolensis, et quidam Hungaricus, clam Romae apud Papam Benedictum XIV. egerunt, et petierunt, ut omnes nostri Benedictini e Parochiis nobis incorporatis ad Monasteria sua evocentur, Petrinis tradendis. Hoc occultum consilium Episcoporum proditum fuit Abbati Cremifanensi, qui id aperuit Abbatibus Gottwicensi, Mellicensi, aliisque. Quo rescito Abbas Gottwicensis,

Gedefridus, re cum nostro Abbate Adriano communicata, Romam ad Papam scripsere, et quidem noster Mellicensis hoc negotium Cardinali Passioneo quam maxime commendavit, qui per sex fere annos, singulis annis ad nostrum Monasterium animi gratia venit sub priore Abbate Bertholdo, et fere per 14 dies hic haesit, plurimis humanitatis officiis cumulatus, idque cum multis impensis nostri Monasterii, maxime vero Abbas Gottwicensis, vir doctissimus, graves causas, et argumenta pro impediendo Episcoporum consilio adduxit, tandemque per ea, et specialiter per Nuntii Apostolici Viennensis Paoulucci auctoritatem et recommendationem ista Episcoporum illorum consilia et molimina in nihilum redacta fuere, et sic nostri Ordines homines securi in Parochiis expositi permanere. Hoc postremum mihi noster P. Prior Vitalis ex ore nostri Abbatis narravit. Deo gratias. Episcopi cum Clericis saepe conquesti sunt. Parochias suas provideri a monachis, qui tamen ex fundatione suam sustentationem habent, Clericos vero idcirco non posse ali, aut applicari. Verum meminerint illi, tempore Lutheranismi plerasque Clericorum Parochias ab ipsis desertas fuisse, eosque defecisse ad Sectam Lutheri, quibus postea necessario substitui debebant Monachi. Nunc quia provinciae nostrae cum Dei gratia repurgatae sunt ab haereticis, contra quos tantopere laborabant nostri, ipsi Clerici rursus eas recuperare volunt, quod iniquum mihi videtur, et ipsi Episcopi non obtinebunt, nisi Papa ordinaverit, quod tamen apud Principes terrae difficillime obtineri potest propterea, quod Monasteria fundata ipsis tantas quotannis pecuniarum summas pendere tenentur.

Subacta 19. Julii Straubinga magna in Bavaria tranquillitas, et solum Ingolstadium a nostris circumvallatur et obsidetur. Comes de Goes a regina mittitur Administrator Bavariae, etiam in Palatinatu superiori Officiales Austriaci dominantur, et reditus undique colligunt. Interim Comes de Sekendorf cum exercitu suo Bavarico in Franconia quietus sedet, uti et Carolus VII cum sua familia Francofurti. Princeps Carolus Lotharingicus, et Comes Khevenhüller cum quibusdam Officialibus in Hanau ad Regem Angliae pergunt, et consilia sua circa futuras belli operationes cum eo conferunt, ab eo humanissime excepti, ad postea ad exercitum Austriacum in Brisgoviam reduces, parantes transitum super Rhenum in Alsatiam.

E Viennensibus et Gallicis novis: Noster exercitus discedens Bavaria per menses Julium et Augustum absque impedimento per Ducatum Wirtenbergensem, et Palatinatum, et Marchionatum Badensem, Gerlicensem, Badensem-Badensem feliciter venit in Brisgoviam, inde tentant per Rhenum transire in Alsatiam, quam contra Galli per oras ab novo Brisaco usque in Landau militibus et munitioibus muniunt, nostris transitum prohibitori. Et tamen apud vetus Brisacum Baro de Trenk in Augusto cum quibusdam suis Banduris navibus in Alsatiam transmisit, ibique multos Gallos in frustra concidit, equos abduxit et unum Standart ipsis eripuit, et inde rursus rediit. Interim Exercitus Regis Angliae cum nostris Belgis in Augusto itidem ex Hanau abiit, et infra Moguntiam Rhenum in pontibus navalibus transiit, et ad alteram ripam Rheni venit in Lotharingiam, ut creditur,

occupandam abiturus. Noster vero exercitus Austriacus sub Duce Carolo Lotharingico et Comite Khevenhüller usque adhuc in Brisgoia haeret, incertum, quando Rhenum trajecturus, forte ob metum Regis Borussiae, qui dicitur minitatus Reginae, si suo exercitu Rhenum traiceret, se nostram Silesiam et Moraviam invasurum. Interea copiae Bavaricae sub Comite de Sekendorf quidae in Franconia se continent, et obsidio Ingolstadii lente procedit uti et Ploquada urbis Egrae in Bohemia. Sueci cum Russis in Julio pacem iniere, electo in throni successorem, ut petebat Imperatrix Russorum, duce de Hollstein, simul et Episcopo de Lübeck, contra quam electionem tumultuali sunt rustici numero fere 20.000, dicti Dalkerl, etiam Stokholmium praesente Rege ingressi, et hostiliter invadentes copias Suecicas, a quibus tamen devicti multi ipsorum incarcerati sunt, aliqui liberi dimissi. Duces horum rebellium capti, et ad graves labores damnati, socii vero eorum veniam rogant humillimis scriptis, et obtinent. Quidam militum Praefectus dictus Budenbrok, quod in bello contra Russos male se gesserit, ex sententia Regis et Statuum Stokolmii publie obruncatus fuit, quam sententiam exercitus Suevici dux supremus Löwenhorst, ob eandem causam in brevi excipiet.

Hoc anno 1743 iterum postulat Regina ab Austriacis die Vermögen Steuer, et Papa ei concessit, ut peteret a Clero decimas ecclesiasticas ad reparanda loca munita vicina Turcis in Hungaria. Id mihi narravit noster D. Abbas. Relatio brevis de proelio nostros inter et Gallos apud Dettingen in Franconia die 27. Junii habito. Die Visitationis B. Mariae V. Viennae cursor advenit publicus, et Imperatrici Elisabethae viduae nuntium laetissimum adtulit, Gallicum exercitum sub Duce Noaillio die 27. Junii a Rege Angliae et nostro exercitu apud Dettingen maxima clade profligatum, cum ipsi Galli trajecto Moeno nos primi aggressi sunt. Nam multi Praefecti militum capti sunt, pars magna eorum in fuga in Moenum se iniecerunt, quorum permulti in eo submersi sunt. Rex Angliae in locis periculosissimis tamquam strenuus Dux se ubique ostendit, ejusque filius Dux de Cumberland exemplum patris secutus fuit, et leve vulnus in capite accepit, Dux vero de Aremberg, qui nostrum Belgicum duxit exercitum, sclopeto in pectore, sed tamen absque gravi periculo trajectus fuit, et antequam sibi alligari vulnus fecit, propria manu hanc victoriam nostrae Reginae per litteras nuntiavit. De numero caesorum aut vulneratorum ex parte exercitus foederati nihil hic additum. Cursor supradictus primum Reginae Lincii existenti haec nuntiavit, et statim quidam Milord Anglicus eidem postera die, nempe in die Visitationis B. V. Mariae, quo adhuc Lincii fuit, amplam hujus victoriae relationem attulit. Regina apud nos existens tertia Julii in mensa narravit, proelium hoc sex horis durasse. Dictum a quodam ex comitatu Reginae, cladem Gallorum aestimari ad 14.000. R. P. Sebastianus Jenig Jesuita et P. Superior Castrensiu Patrum in exercitu Bavarico nostro ex Rhein oppido Bavariae die 29. Junii haec scripsit ad nostrum P. Ambrosium. Ultima hujus, nempe Junii 1743 prodit de ultimo angulo Bavariae, quo cum suo tot acceptis cladibus

residuo exercitulo, vix 8000 constante, retrusus fuit Sekendorfius, collocaturus cum Excellentissimo Khevenhüllero, et manum Principis Caroli Lotharingici deosculaturus, quod ultimum negatum est. Ex alloquio habemus praedictum exercitulum exulem a patria futurum et victurum in Franconia. Praesidiarius miles Braunoviam et Reichenthal nobis tradet, et dispersus suam stationem in Bavaria obtinebit, die Landfahnen redibunt ad aratrum et opificium, die Schützen iurabunt, sed quoad vixerint, non resumpturos arma contra Reginam. Idem eveniet Schardingensibus (sic in litteris lego, sed puto legendum Straubingensibus) et Ingolstadiensibus. Dicuntur Egrenses Galli capitulationem inire, Galli, qui adhuc heri ad Schellenbergam castra metabantur, relicto post se fumo, ex succensis castris, foeno, stramine, expilataque Donawerthana vicinia duorum milliarium disparuere. Wirtenbergensem terram ingressuri, sub inde vero suam, in qua theatrum belli fors adhuc anno hoc aperiri videbimus. Bavari jam transeunt per Danubium in Franconiam, non jam signa militaria Gallica abbi coloris, sed Reginae nostrae viridis coloris in pileis praeferentes. Ex quibus nondum pax confecta videbitur, verum nos nec Bavarorum amicos nec inimicos futuros, quamdiu pax non fuerit stabilita. Hodie Princeps Lobkowiz dicitur Lincium allaturus colloquium inter Sekendorfium et Khevenhüllerum habitum, post cujus reditum nos per Sueviam ibimus, quo? Fors in Galliam, inde Gallice scribam. Si Caesar se declaraverit contra Gallum, Bavaricus exercitus modicus probabilius se nobis adjunget, quod exspectandum est. Haec vera fuisse docuit eventus, nam post cladem Bavarorum apud Braunau a nostris illatam retrocessere res Bavaricae, adeo ut de loco ad locum a nostris fugerint, et demum Comes de Sekendorf a Carolo VII. Imperatore missus ad Carolum Principem Lotharingiae in Rhein existentem petiit armistitium, et postea sub certis conditionibus obtinuit, et ab hoc tempore omnis hostilitas inter nostros et Bavaros cessavit, praeterquam quod adhuc multi Galli cum Bavaris Ingolstadium obtinuerint praesidio. Interim Galli ceteri omnes e Bavaria per Wirtenbergensem Ducatum et Sueviam ad Rhenum perexere, a nostris Hussaris continuo lacessiti.

E novis Viennensibus: Egra, urbs Bohemiae, fere biennio a Gallis possessa, et multo tempore a nostris militibus circumsessa, tandem se dedit Reginae nostrae die septima Septembris 1743. Comite de Kollowrat Duce nostri exercitus, Gallici vero praesidii D. de Herronville, et totum praesidium in captivos belli acceptum.

(Continuatur.)